

Heinrich Müller

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar. ad
Lessum funebrem Quem Viro ... Johanni Quistorpio, Theologo Doctori & Profess.
... Marito suo desideratissimo Vidua moestissima Hodie in Templo Mariano
adornatum expetit Omnes Academiae cives sedulo serioque invitat : P.P. IV.
Ianuar. An. M. DC. LXX. sub sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776781197>


Druck Freier  Zugang



Müller, H.,
in
J. Qvistorp.

Rostock. 1670.

in 2 unvollständigen Abdrücken.



Das Salz Programm
in 2 nachfolgenden Abständen.

[Faint, illegible handwriting]

RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HENRICUS

Müller /

Theol. D. & Prof. Ordinar.
ad Lessum funebrem

Quem
VIRO

MAGNIFICO, *Plurimum Reverendo, Amplissimo
& Excellentissimo*

DN. JOHANNI
QVISTORPIO,

Theologo Doctori & Profess. celeberrimo,
Facultatis suæ SENIORI & ad Div. Jacobi Pastori me-
ritissimo, in ipso eheu! RECTORATU ACA-

DEMICO acerbissimo funeremerso,

Marito suo desideratissimo

Vidua moestissima

Hodie in Templo Mariano adornatum expetit

Omnes Academix cives sedulo serioque invitat

P. P. IV. Januar. An. M. DC. LXX. *sub sigillo Rectoratus*

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typogr

AUGUSTINUS

ad frat. in Eremito serm. post. 197.

Dicant omnes, loquantur cuncti: surgat venerabilis Pater Adam cum omnibus filiis suis & uno ore loquantur, num in hac vita *gaudium* habuerint sine dolore, *pacem* sine discordia, *quietem* sine metu, *sanitatem* sine infirmitate, *lumen* sine tenebris, *panem* sine luctu, *risum* sine fletu.

MISERERE NOSTRI

DOMINE!

HOc nobis igitur post acerbissimum B. LINDEMANNI nostri obitum sperandum erat, ut, quum adhuc maderemus lacrimis, novus nos mœror opprimeret, capitalior longè feriret plaga, & eximium illud ecclesiæ, eximium Academiae lumen QVISTORPIUS extingueretur? ô infelicissima ineuntis anni initia! ô fata in clementissima! Quibus enim lacrimis, quibus, quibus, inquam, lacrimis & Academiae nostræ & Ecclesiæ perquam miserabile fatum deplorabimus? quâ tandem voce dolorem nostrum edifferemus? JOHANNES QVISTORPIUS, (ô afflictissimas vices nostras!) JOHANNES QVISTORPIUS, Antistes ille, ille Doctor ductorve noster mortuus est, in quo præcipuum decus, quin & ipsum suum caput Academia, firmissimum sulcrum Ecclesiæ, Conventus sui directorem sacer Doctorum ecclesiasticorum, Ordo, Pastorem vigilantissimum Parochia Jacobæa, tota civitas deprecatores apud Deum amisit ardentissimum. Equidem quid ex isto Viri Optimi obitu augurandum nobis sit, nescio. Dicam tamen quod sentio. Solent talium ecclesiæ columnarum ruina omnia esse publicarum cladum. Et videtur id prævidisse, quin & præfaguisse B. NOSTER, qui dum publicas habuit de egressu Lothi ex Sodoma Conciones, ipse hæc mundi Sodomâ egreditur, exitu suo exitium imminere præfractis Verbi divini contemtoribus apertissimè indicans. Verendum certè ne extram ubere Doctorum messe, quibus nos hactenus beavit DEUS, teauerelinquatur spicilegium. Nostrum ergo est exfertum hoc divinæ vindictæ flagellum deprecari, & quod unicum miseris super est, ut divinam bonitatem seriâ vitæ emendatione nobis mage reddamus propitiam, enixè contendere. Sed quanto Viro exsequias hodiè ituri simus, prolixius nunc explicabimus, telam atatis omnem retexturi. Natus est ὁ μακαρίτης hæc loci anno Christi M. DC. XXIV. d. 3. Febr. Patrem habuit Virum de Ecclesia hac & Academia meritissimum. B. DN. JOHANNEM

HANNEM QVISTORPIUM, Doctorem Professoremq̃
Theologorum longè celeberrimum, Facultatis suæ, dum vi-
veret, Seniore & Ecclesiæ Præsulem gravissimum, Pastorem
itidem Marianum vigilantissimum. Matrem præclari gene-
ris & rarissimarum virtutum fœminam, BARBARAM Doh-
mans. Proavum Paternum JOACHIMUM Quistorp / Ci-
vem honestissimi nominis; proaviam paternam CATHARI-
NAM Dumrahts / & ipsam optimam fœminam. Proavum
maternum Virum Amplissimum, DN. STEPHANUM Doh-
man / Senatorem Osnabrugensem, Practicum felicissimum
& civitatum Anseaticarum Syndicum; Proaviam maternam
Ulheit Appelbaums / singulare matronarum decus. Prote-
nus ac lucem adspexisset Beatus noster, princeps parentum cu-
ra fuit, uti sacris continuò initiaretur, & qui de carne caro na-
tus erat ex aqua & spiritu renasceret filius Dei hæresque vitæ
æternæ. Proxima huic in fingendo eximiè formandoque filio
collocata est, Puer privatis Præceptoribus, Viris perquam li-
teratis, & instituendæ juventuti natis propemodum (quos in-
ter faciliè primus fuit excellentissimæ eruditionis Vir, DN. JOH.
CHRISTOPHORUS Hauswedel / Jctus celeberrimus, &
Serenissimorum Ducum Meklenburgicorum Judicii Provin-
cialis h. t. VICE PRÆSES Eminentissimus, Fautor noster ho-
noratissimus) traditus, pro docilitate ingenii, quod egregium
nactus, brevità profecit, ut B. Parentis judicio dignus habi-
tus sit, qui Anno M. DC. XLI. mitteretur in Academiam Gry-
phisvaldensem, in qua per annum & menses aliquot subsistens,
mirum, quantâ animi alacritate, quâ contentione per omne
literarum, in primis Philosophicarum, genus fuerit grassatus.
Mox jussu Parentum redux in patriam Philologos, Philosophos-
que nocturnâ versavit manu, versavit diurnâ, tantosque in il-
lo studiorum genere fecit progressus, ut Anno M. DC. XLV. cum
viginti duorum esset annorum, laureâ Philosophicâ, bonis qui-
bus-

bus vis ac doctis adplaudentibus, solenniter ornaretur. Hinc Gedanum missus, cum Viro pl. Reverendo, Amplissimo & Excellentissimo, DN. D. ABRAHAMO CALOVIO, tunc temporis Gymnasii Gedanensis Rectore, nunc in Universitate Witebergensi Professore Theologo primario, Thorunium ad Colloquium Charitativum à Potentissimo Polonorum Rege indictum ivit. Thorunio Regiomontum deveniens Theologorum illius loci celeberrimorum DN. D. BEHMII, DN. D. MISLENTE & DN. D. DREIERI informatione usus in studiis Theologicis indes magis magisque profecit. Anno M. DC. XLVI, Hafniam visitans Danorum illum decantatissimum Theologorum DN. D. BROCHMANNUM non sine ingenti studiorum suorum fructu solerter audivit. Posthac reversus ad suos jam tum in cepit Patriæ suæ ornamento esse. Præses enim ipse sub Moderamine Venerandi Theologi B. DN. D. COTHMANNI, disputationes sex *de Sacro Sancta Scriptura* publicè exhibuit, accedentibus etiam aliis, inprimis *de Tempore ante diluviano Chronologicis*. Has defendendo cùm officii tui præclarè sategisset, tantum apud Patres Academicos inclaruit, ut ipsi profiteri publice Mathesin permissum fuerit. Constitutum erat, visitare Bataviam. Itum ergo Hamburgum. Visus auditusvè est famigeratissimus tunc temporis Mathematicus, DN. D. JUNGIUS. Hinc per Frisiam Orientalem deventum in Belgium. Visitatæ illustres Academiæ Groningensis, Franekerana, Ultrajectina Præ aliis electa Leydensis (tunc per morbum Epidemicum, pestis, ut volunt, prodromum; desolata eheu! & vix umbra Academiæ) in quâ per semiannum subsistens NOSTER privatim docendo multorum sibi favores conciliavit, adeò ut ipsæ etiam Comitum Hagæ eum vocarint, & Nobili cuidam, ADRIANO à Dinsfen / ad studia illius vitamque regendam præfererint. Quâ provinciâ tam strenuè fideliterque functus est, ut jussus fuerit cum Nobili illo in Galliamve.

Sed


Sed visum aliter summo rerum omnium moderatori Deo, qui Parentem, non sine ingenti totius Provinciæ cordolio, derepentè extinxit. Redeundum ergò fuit BEATO nostro in patriam, imprimis cum urgeretur reditus à Patriæ Patribus Academiæ Compatronis ampllissimis, ipsum ad Professionem Theol. evocantibus, quam tamen, nisi prius salutatis celebrioribus Germaniæ Academiis, Juliâ, Lipsiensi, Jenensi, Witebergensi, Erfurtensi, adire noluit. Factum eo p[ro]p[ri]o tempore, uti per discessum incomparabilis hujus Academiæ & Ecclesiæ luminis, B. DN. D. JOACHIMI LUTKEMANNI, Theologi æternâ memoriâ dignissimi, Archidiaconatus templi Jacobæi vacuus redderetur, cui BEATUS NOSTER, volentibus sic fatis, ritè præfectus est. Altiùs tunc expendens secum, quod *εἰς αἰῆς ἔδειξεν αἰῆς*, cœlo sic disponente, connubiali fœdere sibi junxit Virginem floridissimam, SOPHIAM, Viri Nobilissimi, Amplissimi, & Consultissimi DN. NICOLAI Scharffenberges / J. U. Doctoris, Potentissimi Daniæ atque Norvvegiæ Regis CHRISTIANI IV. beatiss. mem. Consilarii & Urbis nostræ Consulis, filiam, nunc Viduam mœstissimam, quam ipso illo die quo Theologiæ DOCTOR renunciatus est publicè, domum duxit. Conjugium hoc fuit in annos XX. pacificum & usque eò sæcundum, ut decem inde utriusque sexus liberi in hanc mundi scenam prodierint, filii sex, JOH-NICOLAUS, Theol. Studiosus, THOMAS, STEPHANUS, BERNHARD BALTHASAR, JOHANNES & THEODORUS quatuorvè filiæ, SOPHIA, BARBARA, ANNA MARIA, CATHARINA. Quatuor horum teneriori statim ætate celo redditi, reliqui adhuc superstiterant & unâ cum matre desolatissima insperatum desideratissimi Parentis excessum acerbissimè deplorant, quos dulcissimo suo solamine PUER NOBIS NATUS & FILIUS DATUS NOBIS celitùs reficiat! Ceterùm erat noster hic BEATUS ANTISTES Theologi veri typus & exemplar, in administrandis functionibus

bus tam Academica quam Ecclesiastica fidelis, in docendo solers & assiduus, in vita pius. Hoc namq; laborabat unice, ut doctrinae suae & vitae ratio concineret, nec unquam praeciperet aliis, quod non ipse prior exemplo suo firmaret. Ita enim reputabat, aut non docendum, aut moribus docendum esse, egregie memor illius Hieronymi ad Nepot. *Ne confundant opera sermonem tuum, ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo haec, quae dicis, non facis?* In concionando non tam verba, quam fulmina spargebat, si quando vitia configenda hominum, si taxandae vanitates mortalium, si inculcandum mentibus, quanta indignatione in publica scelera Deus ardeat. At vero putasses nectaris fontes favosq; mellis ab ore ejus dimanare, si cubi prompta spes veniae ostendenda poenitentibus, si cubi divinae thesauri misericordiae recludendi essent. In precibus pro restauratione Zionis ad Deum fundendis assiduus erat & adversus rupturas excellens propugnaculum, quod vel testantur PIA Viri DESIDERIA, Tractatulus bonis omnibus approbatissimus. In perferendis injuriis moniti, quod dedit Ghrysoctomus homil. V. in Matth. oper. imp. *In propriis injuriis patientem esse laudabile est, injurias autem Dei dissimulare, impium est*, observantissimus erat. Beneficus insuper in pauperes & inserviendi studio erga quosvis opis indicos luculenter conspicuus, ut, si PATREM eum vocitasses PAUPERUM, errasses minime. Quid nunc de summa Viri comitate, quid de singulari dicam modestia? quae tanta fuit in eo, ut propterea etiam ab exteris multum aestimaretur. Fecit illa, ut ab Illustrissimo Comite Oldenburgenfi b. m. evocaretur ad Superintendentiam Delmenhorstianam. Fecit, ut ante biennium a Serenissimi Principis ac Domini, DN. CHRISTIANI LUDOVICI, Ducis Meklenburgici, &c. &c. Domini nostri clementissimi Consiliarii, de suscipiendo Praefulatu Parchimenfi sollicitaretur. Fecit deniq;, ut non ita pridem a Serenissimo Principe ac Domino, DN. GUSTAVO ADOLPHO, Duce itidem Meklenburgico, &c. &c. Dominoq; nostro clementissimo Ephoratu Neobrandenburgensi gratiosissime destinaretur. Quas tamen vocationes amore Patriae, cui potius quam aliis natum sese datumq; arbitrabatur, modeste declinabat. De morbi, quo decubuit, tandemq; decessit *Vir longiori vita dignissimus*, genere, non est quod commentemur prolixius. Audiendus potius, qui curando adhibitus fuit Medicus Experientissimus DN. D. SEBASTIANUS WURDIGIUS, Collega noster & Amicus conjunctissimus, ita hac de re scribens; *Principium morbo dederunt dolores colici, quos immediate secuta est commotio humorum, s. potius spirituum, quae causa fuit febr. Ea conjuncta habuit varia symptomata, cum primis vigilias, anxietates, inquietudines,*
gestiga

*festigationes, quæ haut obscure cor & vitalia esse oppressa insinuarunt. Remittere quidem semel atque iterum visa fuerunt jam dicta symptomata, præter tamen omnem expectationem accessit faucium, tonsillarum & lingue inflammatio, exoratio, quæ adhibitis debitis remediis & medicamentis etiam evanescere quidem, crebra tamen & concatenata animi deliquis in corpore cæteroquin imbecilliori, facultatem vitalem exhaustam esse demonstrarunt. Singulis enim diebus aliquoties recurrebant, flammam itaque vitalem paulatim extinguere docuerunt. Tandem vigiliâ Nativitatis Christi, exhaustis omnibus viribus, piè & placidè Domino obdormivit. Antequam tamen obdormiret, vocatus est Confessionarius, Vir adm. Reverendus & Amplissimus, DN. ENOCHUS SVANTENIUS, S S Theol. Doctor &c. Collega multùm honorandus, qui & confortavit solamine ægrotum, ultimo insuper, quod est Corpus & Sanguis Servatoris nostri JESU Christi, munivit viatico. Quo munitus, cùm in dies magis magisq; dilaberentur vires, accersitis liberis, postquam instillasset animis eorum egregia monita, non sine amarissimis lacrymis valedixit. Tandemq; d. 24 Decembr. inter adstantium preces, ipse aliquoties suspirans, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*, item, *Vater in deine Hände befehl Ich meinen Geist* / placido & beato obitu, quasi somno consopitus, expiravit, postquam caducam hancce atque miseram vitam 45. ferè annis perpeffus esset. Tenet ille jam terram manibus, profectusq; in portum coronat navem, discriminibus defunctus omnibus, omnibusq; periculis, quæ nos exercent indies. Ridet nunc in cœlis triumphos inter positus angelicos per plurimos quos habuit in terris osiores pessimos. Fulget ibi inter Doctores justitiæ, ut splendor firmamenti, fulgebitq; per infinitas sæculorum myriadas. Tu, benignissime DEUS, miserere ecclesiæ Tuæ agonizantis eheu! & tantùm non expirantis. Solare viduam moestissimam, & orphanos destitutamque præsidio atatem tibi habeto commendatissimam. Vos verò; Cives Academici, reliquias Rectoris (qui fuit eheu!) vestri solenni more hodie componenda frequentes comitami. Quod ut faciatis ipsa vos poscit pietas, (quæ tum demum perfecta est, quando benè meritis Viris, quacuncq; possumus ratione, referimus gratiam, quos vivos colimus, mortuos vel maximè veneramur) & nos monemus atque obtestamur
 sedulò.*

*Convenietur in ade D. Jacobo sacra
 post horam primam.*





bus tam Academica quam Ecclesia
in vita pius. Hoc namq; laboraba-
cineret, nec unquam præciperet al-
maret. Itã enim reputabat, aut
esse, egregie memor illius Hierony-
*monem iudum, ne cum in ecclesia loque-
quæ dicis, non facis?* In concionan-
gebat, si quando vitia configenda ha-
um, si inculcandum mentibus, qua
ardeat. At verò putasses nectaris fo-
si cubi prompta spes veniæ ostenden-
misericordiæ recludendi essent. In
um fundendis adfiduus erat & adversus
quod vel testantur PIA Viri DESID
probatissimus. In perferendis inju-
homil. V. in Matth. oper. imp. In *pr*
injurias autem Dei dissimulare, impiu-
insuper in pauperes & inserviendi stu-
conspicuis, ut, si PATREM eum
mè. Quid nunc de summa Viri com-
quæ tanta fuit in eo, ut propterea et
cit illa, ut ab Illustrissimo Comite
perintendentiam Delmenhorstianam
Principis ac Domini, DN. CHRISTI-
gici, &c. &c. Domini nostri clemens-
fulatu Parchimenfi sollicitaretur. In
simo Principe ac Domino, DN. GU-
Meklenburgico, &c. &c. Dominoq;
brandenburgensi gratiosissimè destina-
Patriæ, cui potius quàm aliis natum
declinabat. De morbi, quo decubu-
dignissimus, genere, non est quod cor-
rius, qui curando adhibitus fuit Med-
STIANUS WURDIGIUS, Collega
hac de re scribens; *Principium morbo*
secuta est commotio humorum, s. potius
juncta habuit varia symptomata, cumpr

docendo solers & adfiduus,
trinæ suæ & vitæ ratio con-
ipse prior exemplo suo fir-
, aut moribus docendum
Ne confundant opera ser-
bet respondeas, cur ergo hæc,
rba, quàm fulmina spar-
axandæ vanitates mortali-
one in publica scelera Deus
nellis ab ore ejus dimanare
us, si cubi divina thesaur-
restauracione Zionis ad De-
excellens propugnaculum,
atulus bonis omnibus ap-
quod dedit Ghrysoctomus
patientem esse laudabile est,
tissimus erat. Beneficus
vis opis indicos luculenter
UPERUM, errasses mini-
ingulari dicam modestia?
multum æstimaretur. Fe-
b. m. evocaretur ad Su-
tè biennium à Serenissimi
VICI, Ducis Meklenbur-
ariis de suscipiendo Præ-
non ita pridem à Serenis-
OLPHO, Duce itidem,
ntissimo Ephoratu Ne-
tamen vocationes amore
; arbitrabatur, modeste
decessit *Vir longiori vitã*
rolixius Audendus po-
tissimus DN. D. SEBA-
cus conjunctissimus, itã
res colici, quæ immediatè
causa fuit febræ. Ea con-
anxietates, inquietudines,
jelliga



the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT
Image Engineering - Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032